



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Mons Thabor Sive Solitudo Exercitiorum Spiritualium

Bisling, Anselm

[Einsiedeln], 1682

Parænesis Ad Sacerdotes, & Clericos.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60545](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60545)

custodire in moribus, innocentiam ser-
vare in corde, loquacitatem taciturni-
tate compescere, passionum, ac sen-
suum immoderantias rationis impend
cohibere, fraternitatis unitatem tenere,
omnes velut nos ipsos dulci dilectionis
affectu complecti, nihilque amoris Dei
præponere; circumspecti semper in
actionibus, in loquendo providi, in
corripiendo mansueti, in compassione
proclives, in colloquijs placidi, in a-
nimo sereni, in adversitatibus hilares,
in mandatis obedientes, fervidi in ora-
tionibus, impigri divinis in laudibus,
& in corpore velut in carcere, mente,
ac desiderio conversantes in caelis:

Facientibus hæc Regna patebunt
superna, Amen:

PARÆNESIS

Ad Sacerdotes, & Cleri-
cos:

Noveritis A. R. R. & Amplissimi DD.
Sacerdotes, mei in hac lucubrati-
onis instituti propositum à principio aliud non fuisse
quàm ut, satisfacturas mei in Ordinis
Tyrocinio, vel Novitiatu discipline Mag-
istri mandato, nonnulla compilarem, quæ
esset:

B. Laur.
Iust. de
vit. pol.
c. 18.

exercitia spiritualia regulis, votis, & institu-
tuto Sanctissimi Patriarchæ BENEDI-
CTI conformia, decem dierum spatio obe-
unda servire possent. Cæterum cum omnia
in libellum redacta, multis prudentiorum do-
ctorumque consilijs, & instantijs inductus
jam prælo commissem; advertens, omnia Ta-
bellæ materiæ contenta, ac titulos, non-
nihil quidem difficili, fructuoso tamen labo-
re (mutatis mutandis) etiam Sacratissimo
Ecclesiasticorum reliquorum Statui (quem
nemo nescit firmamenti totius Ecclesiæ Mili-
tantis Luminare majus, Lucem, ac So-
lem esse tanto amplius rerum creatarum
hemisphærium illustrantem, quò magis in se
splendescit) applicari posse: adjeci animum
(quantumvis absolutis jam penè in typo pri-
mis duobus folijs) omne deinceps thema, uti
Religiosis (quod primus meæ scriptiõnis sco-
pus erat) ita & Sacerdotibus, pro singu-
larissimo meo, atque perpetuo in eos affectu ac
studio, alternatis calamis accommodandi:
minimè tamen intendens, in sole maculas
querere, sed nebulas tantum illius radios ob-
fuscantes, præpotentis Dei dexteræ auxilio,
dissipare: neque sugillare, aut criminari
defectus, & nævos; sed salubriter demonst-
rando (si qui sunt) errores ad corrigendum pro-
vocare.

Vt autem suavius omnia, & efficacius
simul auribus vestris influerent, eadem ope-
rà perfectissimi illius Sanctimoniæ Sacer-
dota-

totalis prototypi, Divi scilicet Caroli
Borromæi doctrinam, & vitam toto penè,
ut vidistis, seu videbitis, Opusculo, maxime
verò in duabus ultimis partibus introdaxi,
minimè dubitando, me per hoc devotioni, &
desiderijs vestris abundè gratificaturum. Quod
si dein in ejusdem libelli decursu nonnulla ma-
gis seria inserta esse comperiantur, quæ ali-
cui indisciplinato, aut propriæ salutis ma-
ri frontem corrugare, vel stomachum mori-
re possent, nihilominùs memor illius ex ore
Sapientis deprompti: Argue sapientem, &
diliget te: doce justum, & festinabit ac-
cipere: confidenter spero, vos sapientis-
simos viros, confratres, & Patro-
nos meos omnia æqui boni-
que consulturos.

